

1913

H O M I L E T I C I.

1914

*Solus origenes cum doctos uicerit omnes  
In libris alijs, tamen in libro Salomonis  
Ipse sui victor fuit eius cantica cantans.*

*Hieronymi Sententia est, metro illigata. Origenes, inquit ille in Praef. ad Damasum interpretationis suae II. Homiliar. in Cant. cum in ceteris Libris omnes uicerit, in Cantico Canticorum ipse se uicit.*

IV. fol. 167. *Omelia, ut in calce, Albini Beati dyaconi. Init: Liber generacionis ihesu christi &c. Beatus Matheus euangelista Dilectissimi non inmerito inter cetera celestium secretorum animalia facie hominis describitur &c. Habetur in Alcuini edit. Ratisb. T. I. P. 2. p. 449. titulo: Interpretationum Nominum Hebr. Progenitorum D. N. J. C. Sub titulo Homiliae in Nativit. B. M. V. jam Andr. Quercetanus inter Alcuiniana ediderat, et inter Homilias Bedae etiam T. VII. edit. Basil. 1563. p. 183. legitur. Plura uide in Monito praevio edit. Ratisb. Nobis desinit: merito et numero augeamur. In Editis ulterius procurrit.*

V. fol. 170. ἀδελφότης Expositio super I. Lucae, quae incipit: *Missus est gabriel a deo in ciuitatem nazareth. Signum pacis est quando legati mittuntur &c. Mox sub principium ignotus Autor Alexandrum in Cantica excitat. Non novi hujus nominis Interpretem Canticorum, nisi Alex. Neckba-*

*Compleat inceptum sancta Maria meum.*

*mum Anglum a. 1215. defunctum, cujus Commentaria mss. in pluribus Angliae Bibliothecis extare testatur Tannerus et Caveus. Recentior est igitur Expositor noster, qui finit v. 38. his verbis: quam copulationem deificam nobis experiri concedat christus. Amen. et inter tot hujus περιουσις Expositores difficilis designatu est.*

VI. fol. 186. *Sermones quidam de Virginibus, de Corpore Christi, de Purificatione, de Nativitate, &c. qui etiam Codicem terminant.*

DCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 117 XV. Folior. 444. 4. currente calamo exaratus, rubricis distinctus et olim testamento legatus *ad collegium beate marie virginis domus Rubee Rose apud fratres predicatorum in Wyenna a M. Thoma de Haselpach arcium ac sacre theologie professore, In perchtoltzdorff plebano famoso atque ecclesie ad sanctum steffanum Canonico, ut notatur in fronte, continet Viri hujus Sermones sacros, academicos, conciliares, politicos, magnam partem propria ejus manu, uti mente conceperat, scriptos, praefixo, quod amabat, lemmate:*

Atque hic eorum est Syllabus: 1) *Sermo de natiuitate saluatoris predicatus per T. de Haselpach 1429. Transeamus vsque betlebem &c. Luc. 2. Diuine pietatis inestimabilia beneficia &c.* 2) *In Purificatione B. Mariae. 1421. In Ecclesia Sancti stephani ad vniuersitatem. Impleti sunt dies &c. Luc. 2. Sacerrimam hodie cum militante matre ecclesia &c.* 3) *In die Veneris sancto per Thomam de Haselpach in Aula, nempe Academica. Pater sanctificauit. &c. Joh. 10. Vel: Clamans voce magna &c. Matth. 27. Flagranti estuatus desiderio &c.* 4) *De Pentecoste. 1445. T. de haselpach. Dedit dona hominibus &c. Eph. 4. Post illam insignem singulariter admirandam victoriam &c.* 5) *De Eodem. Collatio T. de haselpach 1451. Ille vos docebit omnia &c. Joh. 14. Crebras instantias querelas quoque &c. Atque hae inde iam a triennio, quod Magistri in principalibus festis taceant, aliis eorum vice substitutis Oratoribus; unde ait bonus Senex, se post tot labores et diei estus et pondus emeritum hoc pietatis opus subire.* 6) *De Eodem. Collatio Thome de Haselpach. 1455. Misit deus spiritum &c. Galat. 4. Quanta iocunditate gaudiosa &c. Perstringuntur hoc Sermones Eocariae et Agapetae.* 7) *fol. 69. p. 2. Propositio T. de haselpach suscipiendo Dominum Dominicum Forcellanum Episcopum Apostolice sedis cum auctoritate legati a latere venientem legatum 1463. in die Mauritij. Ad conciliandos sibi Fridericum Imp. et Albertum Archid. Fratres missus erat a Pio II. Dominicus hic de Dominicis Venetus, quem Conspectus Hist. Univ. P. I. p. 202: perperam Ep. Chorcellanum vocat. Lugubrem Austriae inter Fratres distractae in ejus Exceptione faciem depingit Noster; qui ita orditur: Multorum rumores vulgarium insonuere iam elapsis diebus auribus plurimum ex nobis super R<sup>me</sup> paternit. accessu ad has patrie oras &c. et mox Academiam suam adpellat omnium vniuersitatum Alemanie de gratia sancte sedis Apostolice primam tempore, et nulli secundam dei dono in Magistrorum copiosa multitudine, atque suppositorum (Discipulorum) solita pariter et fame celebritate &c. Pacarunt Austriam non tam Mediatorum officia, quam mors Alberti anno exeunte subsecuta. 8) *Collatio in die Pentec. per M. Thomam de Haselpach. Repleuit totam domum &c. Act. 2. Etsi abissalem fontem misericordiarum domini &c.* 9) *Collatio de sancto Iohanne Baptista. 1434. Basilee. Igitur ad PP. Conscriptos. Est in illud: Dedi te in lucem gentium &c. Isa. 49. et ita incipit: Excellentissimas heroyci Iohannis Baptistae saluatoris nostri prophete &c. Legi meretur praecipue Pars II. tota directa ad Concilium, cui inter alia dicitur: Tibi christus clauis regni celorum tradidit, et omnium pontificum pariter et regum colla subiecit &c. Considerationibus V. constat, quibus multa opportuna ad reformandum totius Ecclesiae corpus libere proponun-**

1917

H O M I L E T I C I

1918

nuntur. 10) De Nativitate B. V. M. *Inuenta est in utero habens &c.* Matth. 1. *Scientes omnium sanctorum digna preconia &c.* Inter alia de tribus Deiparae gratis loquens ait: *Per primam fuit ab originali contagione gratiose preseruta, uel statim post animationem emundata.* Duplex adest Sermonis hujus Exemplar, et secundum quidem ab alia manu praefert ad Scotos habitum anno 26. sed *Haselbachius* subiecit: *Exemplar verum est sublatum et haec copia est incorrecta.* Rediit igitur postea verum Exemplar. 11) De sancto Colomanno. *Iustum deduxit Dominus &c.* Sap. 10. *Idcirco ad audiendas martirum christi victorias &c.* Referuntur varia de Colomanni Martyro. 12) *Collatio in licentia in facultate Medicine domini Johannis Spardoffer et Magistri Johannis de Muntzing 1462. 9<sup>na</sup> Februarii.* Subjectum: *Non fuit pronunciata ex tunc, sed postea.* In margine additum: *Ex post pro M. Nicolao de Ratispona, Petro Marolt de Lakk et M. Stephano Kuelandt de Rain 9<sup>na</sup> Augusti 1463.* Init: *Multis distractus negotijs quid vobis — in presentibus Ecclesie et patriae studiis sim dicturus &c.* Adumbratis temporum calamitatibus de Medicorum officiis disserit. Inter alia: *Cura per simplicia certior naturalior compendiosior faciliior et utilior et omnibus tolerabilior, et beatus qui in ea fuerit peritior. Audeo dicere, me quendam nouisse medicum, qui Sciaticam curauit passionem per simplex valoris obuli infra diem naturalem*

&c. Thema Collationis est: *Videte quomodo caute ambuletis.* Ephef. 5. 13) De omnibus SS. 1432. Sed praemittitur: *Hic sermo dum conciperetur, interruptus est propter Ambasiatam, quam facere oportuit Nomine Sacri Concilij Basilien. ad frankfordiam et Electores Imperij concipientem.* Nihil de hac *Haselbachii Ambasiata Scriptt. Univ. aut Conspectus Hist.* qui tradit, eum post Pascha hujus anni Univerfitatis Oratorem Basileam discessisse. Thema Sermonis imperfecti: *Merces vestra copiosa est &c.* Matth. 5. Initium: *Locuturus paucillum de omnium sanctorum gloria &c.* Defleat ad necessariam Cleri reformationem et agenda Patribus in Concilio. 14) *Collatio de omnibus sanctis 1440. Ad vniuersitatem Wyenn.* Thema idem. Initium: *Quia omnium sanctorum, qui a mundi exordio &c.* 15) In Festo Simonis et Judae App. 1433. *Basilee.* *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. Initium: *Cum innumerorum sanctorum deo per amorem coniunctorum &c.* Tertia Propositio rursus circa res Concilii versatur. 16) De Conceptu B. M. V. Est ad Academ. Vien. sed annus extritus. Thema: *Sanctificauit Tabernaculum suum &c.* Psalm. 45. Initium: *Magne utique et gloriose festiuitatis diem &c.* Hic rursus ut supra: *Virgo gloriosa surrexit super legem foemitis et originalem videlicet culpam per sanctificationis gratiam aut antecedenter preuenientem, aut consequenter expulsivam.* 17)

Sermo

*Sermo de omnibus Sanctis* 1431. Ad Academicos. Thema: *Laudate Dominum in sanctis eius.* Psalm. 150. Initium: *Etsi singulorum sanctorum natalicia &c.* Ambitur utrinque hic Sermo fol. 176. et 189. Epistola in causa litis inter *Albertum Ducem Austr.* et *Leonbardum de Layming de Episcopatu Passaviensi*, quae notulis meis interstincta conferri poterit cum narratione *Hansizii* de eodem negotio T. I. *Germ. sacrae* a p. 504. Ita vero habet: *Reuerende Pater in vigilia penthec. intrauimus* (Theodoricus de Hamelburg et Paulus de Vienna Oratores Alberti a. 1426.) *urbem, et post tercia feria fuimus per d. n. dominum papam* (Martinum V.) *coram dominis Cardinalibus et pluribus alijs extense et pacienter auditi in Consistorio secreto, ubi dominus Papa quesuit de statu Illustris principis et domini nostri Domini A(lberti) ducis Austrie &c. domini nostri gratiosissimi et domine nostre conthoralis sue* (Mechtildis Palat.) *et si haberent prolem. Et respondit nobis, quod super responso nobis dando vellet deliberare, sicque consequenter visitauimus omnes Cardinales, qui nos benigne receperunt et bona uerba dederunt preter D.* (Nomen erasum) *qui nos nec suscepit nec nobis recedentibus vale dixit, sed nobis auditis dixit, se de bona conscientia non posse sentire pro domino nostro; verum finaliter habitis multis replicationibus dixit, quod iusticia non posset negari domino nostro, in quo etiam omnes*

*concordant, sed, ut ad partem intelligimus, forte offerent Judicem hic in Curia, qui strepitu iudicario procedat, quod difficulter acceptabimus, nisi fuerit suasum per fautores domini nostri. Instamus pro translacione* (Leonh. Laymingii ad alium Episcopatum) *quam multi Cardinales asserunt esse honestiorem et Ecclesie utiliore, sed adiungunt, quod* (nomen erasum, sed certe Leonhardus) *inuitus non possit transferri propter Constitutionem Concilij Constan. et quando replicamus, quod hic subsit causa rationalis, dicunt, quod illa non sit probata. Ideo iuxta consilium domini placentini* (Brandae Card. Castillionei multum in Germania versati) *presentauimus causas, quas dominus noster dominus Dux exposuit domino Regi Romanorum* (Sigismundo) *contra lay. (mingium) duobus Advocatis, ut ex Jure huiusmodi causas fundent, et placeret D. placentino, quod huiusmodi causa sic fulcite presentarentur domino pape et Cardinalibus. Et hoc pluribus amicis placet. Alij amici dissuadent. Habito responso domini pape faciemus iuxta consilium maiorum. In Consistorio secreto decem* (Ciaconius XII.) *noii Cardinales fuerunt heri* (24. Maji) *pronunciati, inter quos vnus est dominus Episcopus Olomucen.* (Johannes de Praga, al. de Bucca, Ord. Praemonstr. quem Papa mox Vicarium in hac causa constituit,) *qui iterum in publico pronuntiabuntur, ob quod D. papa impeditus* — Hic Codicis dorsum subit Epistola, et iterum emergit

in

in his verbis: *Rex vult ley* (mingium) *transferri, faciat ipsum conficientem, et sic res est expedita. Super quo R. pater esset cogitandum apud D. Regem. Tractatum Domini Rackanaten.* (Marini de Tocco Ep. Recinetens. et Macerat. in hoc negotio a Pontifice ad partes Legati) *retulimus aliquibus Cardinalibus, qui de ipso non bene contentantur. Ipse venit quarta feria ante festum penthec. cum* (Nomen erasum) *sed quid retulerit, adhuc nobis est occultum, quia nondum fecit publicam relacionem. Hodie soli et secreta nos conuenimus cum domino nostro d. papa cum Clenodio suo* (munere pretioso ab Alberto?) *et iterum lacius sibi loquimur. Constancia domini nostri d. Ducis a multis commendatur, quam et nos pro futuro pro indubitata predicamus. Clenodia et equi sunt presentata. Haec tenus Epistola sine die et consule. Exitum rei tradit Hanszius cit. 18) Collatio pro domino Episcopo Ratisponen. 1435. Erat. is Conradus Westphalus Sulfaten. vir, ut ait Noster, potens opere. et sermone, eximius pontifex. et famosissimus professor facultatis theologicæ, cuius beneficiorum me immeritum, dum vniuersitatis in sacro Concilio tenerem locum, ipsius contemplatione crebro. sensi participem, paterne siquidem M. Johannem (Himmel) et me etiam in propria tabula sepius pertractauit, circa negocia sacri Concilij quasi vna de primis ipsius columnis attentissima &c. Cur Episcopus hic Viennam eo anno accesserit, nescio; certe Acade-*

miam inuisit in festo D. Lucae, unde etiam Haselbachius huic suae Salutationi Thema optavit: *Salutat vos Lucas medicus &c. Coloff. 4. 19) In Aula* (academica) *Collatio 1424. Die veneris magno. Ecce Rex vester. Joh. 19. Appropinquante hora desiderabilissima &c. 20) Collatio pro 18. licentiandis in Artibus. 1463. Thema: Dimitte turbas, ut euntes in castella &c. Matth. 14. Initium: Pro complemento quarti premissi principalis &c. 21) Collatio in aduentu et presentatione ad Concilium Basilee. Anno 1432. Ejus mentio in P. I. Scriptt. Univ. p. 162. e Cod. Mellic. Init: *Re<sup>m</sup> in christo patres — vota sancta iustaque ac flagrantia concepta vestrarum paternitatum desideria — audiuit alma mater nostravniuersitas Wyenn. et — me ipsius syndicum curauit nominare et adunare mox ambasiante — Alberti Ducis Austriae &c. Thema sibi sumfit Thomas, ut infelicem temporum statum depingeret: Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. In Simoniam, in valdensium primum, post vero vikleffitarum et nouissime trifurcatam hussitarum heresim inuehitur, contra haec ait Albertum Austriae Ducem ab omnibus vsque fere derelictum stetisse vsquemodo vt tetragonum, demum Academiam Vien. commendat praecipuos ejus Viros post Albertum de Saxonia Ep. Halberst. commemorando Henr. de Hassia, Henr. de Oyta, Gerbard. de Calcar et Cour. de Ebraco. 22) Hec questio posita est in medium Basilee. 1433.**

Vide-

1923

C O D I C E S

1924

Videlicet: *An per reformationem ecclesie in capite et in membris possit sacrum Concilium ponere decretum irritans contra papam in collacionibus beneficiorum ac etiam in prouisionibus ecclesiarum cathedralium generaliter et indeterminate?* Non favet affirmativae Noster. 23) *Pro Serenissimo domino Alberto Duce Austrie 1440.* Gratulatur *Haselbachius* Academiae nomine Principi et gratias agit Deo, qui, ut ait, *in magnis periculis hinc infauftis diebus eum ad propria reducendo liberare decreuit et incolumem conseruare.* Ad reditum *Alberti* a turbida *Ladislai* infantis coronatione ex *Hungaria* pertinere haec arbitror. Lectu digna est tota Oratio ad temporum historiam faciens, sub cuius finem ludibundus Orator Ducis officia e quadruplici Nominis ejus interpretatione deducit, et primo quidem Prudentiam ex *Albert* quasi totus prestolans et auscultans, id est, gantz gewertig vnd auffechbig, dein Justitiam ex *Albrecht* quasi semper vel totus iustus, id est, alzeit recht, tum Temperantiam ex *Albert* quasi totus dignus, id est, gantz tewr vnd bert, demum Fortitudinem ex *Albrecht* quasi omnia frangite. 24) *Theses variae theologicae in Aula academica ventilatae Johannis de Dingkelspübel et Conr. Mulner de Nurnberga 1449.* Item *Friderici Sybenhär de Eschenbach* et *Leonh. (Huntpichler) de Valle Brixen. professi ad predicatores* eod. an. Item *Pauli de Mellico* et *Joh. de Lambaco 1452.* Demum

*Matthie de Weinsperg 1454.* Omnes, ut videtur, praefide *Haselbachio.* 25) *In Susceptione Serenissimi Regis Alberti Vngarie Boemie Dalmacie Croacie &c. Ducis Austriae. 1438.* Narrat Noster in *Chronico suo Austr.* se, dum adlato Electionis Decreto Universitas *Vien.* cum aliis omnibus incomparabilem hunc Principem renitentem et in lacrimas solutum urgeret, ut Imperii coronam acceptaret, suis auribus hanc ejus excepisse vocem: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur!* Itaque nunc ejusdem Universitatis nomine ei et gratulatur et officia Principis exponit hoc initio: *Sicut non abs re exploratissimam hic presens actus orationem efflagitat &c.* Tota lectu digna. Commentatur in illud: *Psal. 71. Deus judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis,* qua occasione *Majores Alberti* a *Rudolpho I.* recenset. *Hungariae* Diadema *Archicoronam* adpellat, cui similem neque christianitas me iudice vix possidere dinoscitur. Difficet tamen, Virum in superius adlata nominis *Alberti* exentratione ita sibi placuisse, ut eam de novo hic repetierit. 26) *Pro Domino Adolpho Burgen. Episcopo Sacri Basilien. Concilii ad Sereniss. Romanorum regem Legato. 1438.* *Alfonso* scribendum erat de *Carthagena*, Regio *Historigrapho*, *Concilii Basili.* Theologo, qui sedem *Burg.* ab a. 1434. ad an. 1456. tenuit. Nihil de ejus missione in *Actis* Concilii editis, cuius

1925

H O M I L E T I C I.

1926

jus finis fuisse videtur, *Albertum* penitus in *Basileensium* partes pertrahere, quibus *Academiam* adhuc prorsus addictam fuisse, e *Notri* Oratione liquet. Est ea extemporalis; ait enim Orator Legati praesentiam a paucis circiter horis *Reſtori Acad.* innotuisse. Exorditur: *Quatenus pro sublimibus excelsis quoque humillima, pro maximis tantilla &c.* exponitque illud *Luc. 7. Propheta magnus surrexit in nobis &c.* quod haberi dicit in *currentis dominice ewangelio*. Igitur erat *Dominica XV.* post *Pentec.* *Propheta* primum est illi *Christus*, dein *Concilium*, demum *Legatus ipse*, cujus beneficia *Basileae* in se collata gratus commemorat. 27) *In exequiis Serenissimi Domini Alberti Romanorum regis. 1439. Cecidit corona capitis nostri.* Thren. ult. Initium: *Quid est, quod tam crebro exequias flebiles agimus, quid, quod tam crebro memoriam defunctorum celebramus, nisi ut cogitemus, quantis amaritudinibus &c.* *Magnae*, sed verae laudes *Principis* ante diem rapti, de quo *Sigismundus* focer dicere auditis: *Felicia fore illa regna, quibus talis Princeps obtigisset.* Inter alia ait *Noſter*: *Ipsam virginem cum sua intacta conthorali omnis alienae corruptionis expertem vixisse, prout in quodam familiari colloquio iureiurando firmare me aſtante non erubuit.* 28) absque *Inſcriptione* oratio in illud: *Veritatem tantum et pacem diligite. Zach. c. 8. Salutat Noſter Academiae nomine Alberti Successorem Fridericum Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

deinceps *Imp. III.* *In ſignum*, ait, *congratulationis post decessum Inuictissimi et generosissimi d. nostri regis et fundatoris, quod talem fundatorem et protectorem habere meruit, se representat alma vniuerſitas Wyenn. in ſuis doctoribus et magistris coram ueſtra Serenitate &c.* alluditque ad *Thema suum* e nomine *Principis Friderici*, i. e. *Friedreich Dives Pacis.* *Obseruo* in hac et similibus hujus aevi *Allocutionibus* *Oratores* nequaquam exaggeratis laudibus indulgere, sed illas opportunis temperare monitis. 29. *Collatio die declarationis Serenissimi domini Friderici Regis pro domino Nicolao papa V<sup>o</sup> 1447. (die 11. Sept.) prothi et Jacinſi.* *Habita ad Facultates Academicas, quae, et praecipue Artistica, Nicolao obsequium detrectabant.* *Thema: Dico autem vobis, quod multi Reges et prophete voluerunt videre, que vos videtis, et non viderunt.* *Luc. 10.* Postquam Orator de ortu et progressu rumorum curiose praeluſſet, a temporibus *Sigismundi Imp.* quid ad obtinendam *Ecclesiae pacem et unionem*, praecipue in *Imperio Rom. actum*, tentatumque fuerit, commemoratis omnibus *Principum Comitibus* succinſe et utiliter exponit, et demum concludit: *Ideo ut post tot labores et vias attemptatas in vanum nunc pateat mundo, quod in antea (in futurum) per Regiam celsitudinem non ſtet, quo minus suo tempore ad pacem et vniorem Ecclesie et generale indubitatum Concilium perueniatur, de presen-*

K

ti

1927

C O D I C E S

1928

ti in Dei nomine B. p. dominum Nicolaum papam 5<sup>um</sup> tamquam supremum christi vicarium in terris et beati petri successorem recognoscit et sub eius obedientia in antea, quantum potest, se stare protestatur, sicut in scriptis statim audietis. Atque hic ipsa Friderici Declaratio praelecta fuisse videtur, cui opportunas adhortationes subjunxit Haselbachius. Varia de hoc negotio memorat *Conspectus Hist. Univ.* ad an. 1447. 30) Collatio pro R<sup>mo</sup> domino Nicolao alias de Cbusa Cardinalis tituli sancti Petri ad vincula, Initium: congratulantes pariter occurrimus Venerabilis dominus noster preclare vniuersitatis nostrae Study Wyenn. Rector singulique doctores — Vestre R<sup>me</sup> paternitati ob sublimem promotionem ad Cardinalatus fastigium &c. Prima igitur haec Viri celeberrimi Legatio in purpura. Excusat Haselbachius Academicos, quod pridie introeunti Cardinali non occurrerint, arbitrantes noui sacerdotis primicias per nolarum pulsum designari, praefatur quaedam de veteri sua cum Cusano amicitia, et de suo senio, tandem in illud: Exiit, qui seminat, seminare semen suum, Luc. 8. laetas spes praecipit de Cardinalis laboribus in Germania, cujus convulsam deplorat statum, memoratis peculiariter Bobemicis devastationibus. 31) Collatio in susceptione Serenissimi Domini Regis Ladislai Vngarie Boemie &c. Regis ducis Austriae 1452. in Oeavis Natiuitatis Marie Virginis. Feria videlicet 4. infra Octavam

regius Iuuenis a Friderico Imp. demum dimissus Neostadio Vienne perductus erat. Gratulatur ei Academiae nomine Noster hoc initio: Ne quis suae malitiae possit velamen fortassis obtendere &c. et ex loco III. Reg. 10. Posuit te regem super Israel, ut facias iudicia atque iustitiam; optat et hortatur, ut velit esse munificus Actor suae terrene glorie, dein saluificus Tutor, demum beneficus Consolator subditorum. Atque haec fufius deducendo non semel Ladislaum Archiregem compellat. 32) Collatio post aduentum de Concilio (in die) perpetuae et felicitatis 1436. Tarde sane, 17. videlicet Martii, si quidem Haselbachius jam a. 1435. Basilea rediit, ut adfirmat *Conspectus Hist. Univ.* ad h. a Initium est: Humanitate maxima vestra adum esse generosissimisque fauoribus &c. Reddit Noster Academiae rationem itineris et gestorum in Concilio, v. g. VI. mensis maij Anni &c. 32. iter arripui cum R<sup>o</sup> in christo patre &c. domino frisingensi (Nicodemo de Scala Veron.) qui a primordio exitus sui vsque ad suum de Basilea abscessum nouem ferme mansibus a mensa pariter et latere suo me — seiungi passus non est &c. Relatio adfecta magis, quam elaborata, utilis tamen ad Concilii historiam. 33) Collatio, ut in calce, in susceptione R<sup>mi</sup> domini legati Card. sancti Angeli (Joh. Carvajalii) 1447. penultima Octobr. Meminit hujus Adlocutionis et Orationis *Conspectus Hist. Univ.* ad h. a. atque, Legatum hunc Nicolai

1929

H O M I L E T I C I.

1930

colai V. renitente Facultate Artium non nisi e pluralitate votorum ab Academia exceptum fuisse; ita multi Academicorum etiamnum *Basileam* respectabant. Incipit: *Sicut non ambigimus ex innata pietate &c.* et utitur verbis *Job. 4. Descende priusquam moriatur filius meus*, tanquam *Germaniae* ad Legatum. Inter alia: *Descende denique, vide, quomodo principum negotia inexplebiliter miserorum portendunt grauamina. ubi sacerdotum zelus, ubi iudicum equitas, ubi cleri puritas et sacerdotalis mundicia, ubi religiosorum celibatus et castimonia, ubi denique paupertas voluntaria! Descende et vide in nonnullis partibus sanctimonialium cenobia qualia sint. An sint castarum mentium claustra, an potius sub quocunque honestatis fuco meretricum prostibula et innocentium animarum decipula. Conuerte te demum ad reliquum vulgus indoctum, et inuenies hijs diebus apertam bestie de abisso ascendentis effigiem, dum ventri tota sollicitudine inseruiunt, superiores spernunt, sacerdotes despiciunt, salutis monita audire contempnunt &c.* Haec de sui temporis *Germania* cordatus Senex noster. 34) *Collatio et propositio ad R<sup>mum</sup> Dominum legatum Johannem dyac. Cardinalem Sancti Angeli 1455.* (in die) *Crisogoni martiris.* Ex dictis et dicendis vides, *Haselbachium* aevo suo velut os *Academiae Vien.* fuisse. Thema hic illi: *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone illi manum tuam et uiuet. Matth. 9.* quae

verba *Ecclesiae* universalis ad Legatum tribuit, qui a *Callisto III.* ad Principes in *Turcam* animandos rursus in *Germaniam* missus fuerat, unde per *Filiam Ecclesiam* orientalem designat, deque ejus fati ad miserationem praeclare differit. In ingressu etiam memorat, *se lustro peracto pauxilla in simili causa coram eodem Carvajalio in medium deduxisse.* 35) a fol. 271. succedunt Prolusiones VII. habitae in Promotionibus ad gradus Academicos Variorum, quorum sat fuerit adscribere nomina: *Jacobi de Flednitz, Andr. de Scherding 1461. Pauli de Mellico Can. Vien. 1452. Job. de Lambaco 1452. Artistarum plurium 1431. Ladisl. de Strig (onio?) Archid. Alben alias Transilvani, Job. de Pakkenstain Archid. Zagrab. Job. de Bosna Canon. Zagrab. 1431. Artistarum plurium 1432. Georgii Aphentaler et Job. Angrer de Muldorff 1432.* e quibus qui deinceps *Academiam* illustrarunt, in *Scriptt. Univ.* et *Locheri Speculo* memorantur. 36) fol. 303. *Collatio pro Domino Episcopo Pataviensi 1428.* Est is *Leonardus de Layming* post fedatas cum *Alberto Duce* tricas hoc anno primum, ut videtur, *Vienam* adpulsus, cui sacri Pastoris munia egregie ob oculos ponit *Haselbachius* ab *Universitate* eum consalutare iussus. Obsequitur tamen gustui aevi sui in eo, quod *Episcopum* e gentilitio nomine *Layming* (*Leim, Leimen, Limus, Argilla*) memorem semper esse iubet terrenae originis. Initium est,

K 2

Prae-

1931

C O D I C E S

1932

*Praeceptum posuit, quod preterire mihi non licuit, Venerabilis — dominus Rector &c.* 37) *Responsio ad ambasiatorum vniuersitatis parysien. propositionem 1429. feria 2. post festum pasche.* Quatuor Doctores Parisinos missos fuisse, narrat *Conspectus Hist. Univ.* ad h. a. Codex et illorum Propositionem, et *Haselbachii* Responsum hic exhibet, quibus mutua ad Concilium invitatio, et promissum pro Ecclesia sedulo laborandi continentur. Initium Parisinorum: *Verbum mihi ad vos est o viri clarissimi &c.* Viennensium: *Quia verbum bonum — auditum est in terra nostra &c.* 38) *Collatio ad Dominum Card. tituli Sancti Cyriaci vulgo Olomucen. 1429.* Fuit is *Johannes de Praga* vir insignis, quem Noster Universitatis nomine ad restaurandas Ecclesiae res hortatur, praecipue per *Hussitarum*, quorum Acta deplorat, oppressionem; ingressus a vitiosa Praesulum et Doctorum conniventia. Ita: *In nonnullorum fidelium mentibus fortassis potuit surgere scrupulus &c.* Themate utitur illo *Job. 21. e presentis diei* (Fer. IV. post Pascha) *lectione* depromto: *Mitte in dextram nauigii rete, et inuenietis, quod inter alia ita adplicat: inuenietis inquam pisces viros duarum vniuersitatum preclarissimos matris et filie Parysiensis videlicet et Wyennensis &c.* 39) *Relatio brevis Actorum cum Hussitis Posonii* inscripta: *Desiderium Hussitarum feria 6<sup>a</sup> ante Quasimodo* (Dom. in Albis) 1429. *Aderant, ut adparet, Sigismun-*

*Imp. Wilhelmus Dux Bavariae, Doctores Vien. nominatim Nicolaus de Dünkelspühl, Procopius Capitaneus, et tractabatur de admittendo Articulo a Sigismundo oblato: Quidquid ex sacra scriptura aut sententia doctorum in proximo Concilio celebrando conclusum et determinatum extiterit, id acceptare; tergiversantibus Hussitis.* 40) *Puncta proposita per Ambasiatores vniuersitatis (Parisiinae) coram Domino Duce (Alberto) per M. Robertum piri de Normannia.* Extracta ex Epistola *εγκυκλιος* missa, quales habentur apud *Caes. Bul. Egassium* in *Hist. Univ. Paris.* de malis Ecclesiae, de maturando Concilio oecumenico &c. Rogatur tamen peculiariter *Albertus* ad *Hussitas* reducendos opem conferre. 41) *Deductiones duorum Articulorum a Bohemis propositorum de puniendis Peccatis publicis, et duplici Specie Eucharistica e maiore, ut videtur, Scripto excerptae.* 42) a *fol. 315.* rursus *Orationes VIII. in Promotionibus Academicis ab Haselbachio dictae, videlicet: Jacobi de Stubach Ord. Praed. 1454. Ludovici Sleyber de Vlma 1456. Job. Sachs de Nurnberga, quem ne notum illum Phonascum putes, 1436. Steph. de Egenburga anno extrito. Frid. de Eschenbach 1449. Leonb. (Huntpichler) de Valle Brixensi Ord. Praed. 1449. Andreae de Weytra 1443. ubi additum: quinta Junij qua hora XI. precessit terremotus. Demum Christiani de Hurben. 1443. quorum Virorum quidam Academiam deinceps*

1933

H O M I L E T I C I.

1934

ceps ornarunt. 43) fol. 377. In *Dieta frankforden. per Thomam de Haspach* 19. nouembris 1441. Initium: *Regie maiestatis seriose exhortationis gratiose persuasionis verbum huic deo digno cetui R<sup>morum</sup> &c. mandatus in medium deducere fatagens &c. Verbis Apostoli Philip. c. 3. Imitatores mei estote fratres &c. Status urget ad cooperandum Friderico Imp. in tollendo Schismate, disciplina ecclesiastica reformanda, & emendandis moribus, e quorum profligatione sequi Populorum ruinam exemplo Rom. Reipublicae praeclare ostendit. 44) e calce: *Collatio in Dieta Moguntina per Thomam de Haselbach facta Anno &c. 41. 14. die februarij. Initium: Orationem exorsurus — in calce presentis sacre conuentionis de mandato R<sup>morum</sup> in christo patrum sanctorum Augusten. et Chyemen. Ecclesiarum antistitum, nec non generosi domini Alberti de potendorf Baronis et supremi pincerne incliti ducatus Austriae &c. En reliquos Friderici Legatos ad hunc conventum, cui sub discessum Noster eadem commendat, quae Francofordiae, designans Fridericum Imp. iis Matth. 20. verbis: Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 45) absque inscriptione Exhortatio ad Eosdem congregatos ad Schisma abolendum, Concilium generale celebrandum, legitimum Ecclesiae Pastorem procurandum &c. Initium: *Dum ego tantillus, alias inter infimos minimus mandatum suscepissem a R<sup>do</sup> in christo p. &c. et ceteris principibus et domi-***

*nis Ambasiatoribus &c. Thema: Dum tempus habemus, operemur bonum, maxime autem ad domesticos fidei. Galat. 6. Non memini sincerius et vivacius ullibi faciem rerum illius aevi depictam esse, quam in his Nostri Orationibus. Certe per eum non stetit, quo minus medela malis omnibus afferretur. 46) *Collatio ad Clerum in collatione sacrorum clericorum Ordinum per Thomam de baselpach. In illud: Si diligitis me, mandata mea seruate. Job. 14. Initium: Saluator mundi christus dominus fons et exordium nostre beatitudinis &c. Egregia. 47) e calce: *Collatio Thome de baselpach in Exequiis Ser<sup>mi</sup> Regis Ladislai Vngarie Boemie &c. Anno &c. 57. in Ecclesia predicatorum in Die Nicolai. Initium: Amicorum et necessariorum suasio, multimodorum beneficiorum acceptio, nostrorum officiorum etiam preter morem conclusio et flagrans ad nostrum defunctum necessitudo compellit coram vestro venerabili cetu similiter preter morem linguam pro presenti solvere, ubi magis liberet flere, quam aliquid dicere. Quod ut ordinatius complere valeam, dico cum dauid: Num ignoratis, quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel. II. Reg. 3. &c. Multae et merita laudes Juvenis regii, qui, ut ait Noster, dum in extremis adstantium videret lacrimas, Nolite, flere, inquit, nihil mihi deerit. Est illi dulcis eloquio, pulcherrimus facie sed pulchrior moribus, clarus ingenio, iustus in iudicio, circumspetus in agendis, sobrius et castus.***

1935

C O D I C E S

1936

*stus. Depingit luctum Magdaleneae Caroli VII. Franc. Regis Filiae Sponsae Ladislao pactae, et Sororum Elisabeth Guilelmo III. Sax. et Annae Casimiro IV. Polono nuptarum. Exclamat: O incerta humanarum rerum curricula! o inania huius mundi gaudia! Ex alba regali post susceptum dyadema Regni e manibus hostium elapsum, ex Roma redditum, ex noua insperate Ciuitate nobis oblatum, ex naufragio Nandoralbenfi (ubi Ulrici Ciliensis caedes perpetrata) seruatum arbitrabamur jam posse nobis non surripi aut aliqua violentia tolli, sed aliud placuit voluntati altissimi, qui improuise 32. (al. 36.) horarum morbo preuio carissimum nostrum sic euocauit &c. 48) e calce: Hec collatio per T. de baselpach ad mandatum vniuersitatis collecta pro susceptione Ser<sup>mi</sup> domini Imperatoris de Roma ad Wyennam (ergo a. 1452.) audiri recusatur per dilationes indirecte. Credo, quod incerta essent omnia, Friderico Ladislauum dimittere cunctante, qui vixisset forsitan, si diutius cum Friderico perstitisset. Initium: Cum ab anno priori citra celebris percrebuisse fama super vestre celsitudinis Imperialis in hunc locum pacificum aduentu &c. Mox observat, se alteri ab Academia designato Oratori substitutum, quem mors eripuisset, et pro Themate capit illud Luc. 19. Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini. Oratio tota optimis praeceptis theopoliticis ex omni historia illustratis informata est, et in*

*fine Noster se ad Augustam Eleonoram Lusitanicam convertit, quam Leonordim adpellat. 49) Succedunt iterum Scholastica fol. 407. nempe: Collatio facta pro Disputationibus Aularibus 1427. in illud: Comedite et bibite et inebriamini Carissimi. Cant. 5. Collatio pro conclusione illarum in idem. Theses theologicae in illis ventilatae. Prolusiones in Promotionibus: Johannis Hymel 1429. Henr. Klodenbok 1430. Erb. de Newnburga et Georgii Canon. Quinqueecclesien. 1430. 50) Fragmentum quoddam Scripti post Alberti Imp. mortem confecti, et explicantis, quo sensu Neutralitas Nationis Germanicae tempore Schismatis accipienda sit. 51) Responsio ad propositionem Domini vicensis Basilee 1442. (die) Brichtii. (13. Nov.) Dominum hunc Vicensem, an e Catalaunia, an e Regno Neapolitano Episcopum, inter Basileenses non reperi. Propositionem ejus Haselbachius compellat Punga miro cusa eloquio ac trotanti stilo exarata, ad quae respondet Friderici Imp. nomine, adsumto Themate: Veni, impone manum tuam super eam, et viuet. Matth. 9. Hoc Imperatorem de Ecclesia ad Concilium dicere posse post tot labores sue maiestatis nomine sponte nunc in Maguntina ciuitate, nunc in frankfordiensi vicibus iteratis etiam in propria persona impensos. Itaque hortatur Patres, ut et ipsi officium suum faciant. Initium: Quod ad orationem miro verborum lepore per Vestram R<sup>man</sup> Paternitatem &c.*

52)

1937

## H O M I L E T I C I.

1938

52) *Ad Ducem gebennen. sed in parte ad Burgundie ducis oratores 1442.* Nomine Imperatoris, quem rata habere ait Principum horum ad pacificandam Ecclesiam studia, usus verbis illis *Job. 4. Credidit ipse et Domus ejus tota. Domum cum Ecclesiam, tum Familiam Austriacam* intelligit. 53) *Responsio ad propositionem Anglicorum 1442. Moguntie.* In eundem sensum et verba *Pf. 121. Fiat Pax in virtute tua.* 54) *Prolusio in vesperijs Magistri Andree de Scherding 1461.* Init: *Cum alias in similibus vesperiarum actibus &c. et corruptos aevi mores, ut solet, deplorat.* 55) *Salutatio Academiae nomine Praesulis cuiusdam, quem Salisburgensem fuisse oportet, cum eum et metropolitanum Archiepiscopum, et in spiritualibus patrem compellet Orator, ita ingressus: Quem olim inter Ephebos suos optime indolis laete sue doctrine fouit pie matris more — nostra wyenn. Uniuersitas &c.* Nota temporis abest; coniectio tamen *Eberhardum IV. Stabrembergicum* fuisse, qui gradu theologico insignis erat, et *Vienam* adpulsus litem inter *Albertum Archid. et Leonbardum de Layming Ep. Passav.* feliciter composuerat, fato functus a. 1429. Atque in hoc definit vastus Codex, rerum utilium ferax, et cum pluribus aliis testis hactenus mutus, cujus doctrinae, operae, et autoritatis fuerit *Thomas Ebdorfer de Haselbach.* Quod optes, expeditior est lectio; cum enim *αυτογραφα* sint omnia, primoque

conceptu in chartam effusa, multa expuncta, rescripta, infarcta, in marginibus subpleta Lectorem non parum morantur.

## DCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 558  
Folior. 269. 4. rubricis distinctus hanc fol. 1. Notam praefert: *Venerabilis ille Doctor sacre Theologie et longo tempore plebanus in perchtoldstorf Magister Thomas de Haselpach scripsit propria manu hunc libellum. et anno domini 1464. 5<sup>a</sup> feria post festum epiphaniae domini defunctus est wienne. sed sepultus in perchtoldstorf. Carissimi orate dominum deum benedictum et gloriosum pro anima eiusdem.* Et merebatur id sane Vir maximis laboribus pro Ecclesia et Republica in Conciliis, Conventibus et utraque Cathedra defunctus, quorum maguam partem in his Commentariis grata memoria profecuti sumus. Hoc porro Codice continentur *Sermones sacri*, prout eos elucubratus est, primum in *Dominicis et Festa Domini* incipiendo a *Die Ascensionis ad Dom. XXIV.* post *Pentec.* numero 50. dein in *Festa Sanctorum* numero 19. Primus inscribitur: *Collatio in Die Ascensionis Domini 1428.* in illud: *Primum quidem sermonem feci &c. Act. 1.* et incipit: *Christus dominus post passionem suam et resurrectionem transire volens a presenti lacrimarum valle &c.* Ita et reliquis passim adscriptus est annus, quo habiti sunt. Nihil concedunt quibusvis **Ext**  
**rorum**